

optime de ea ultus est. Cum aliquando diu rixantem in aedibus tulisset ac tandem fessus ante fores consedisset, illa magis irritata quiete viri, de fenestra eum lotio perfudit: qui tamen non ideo erupit in furem, sed prætereuntibus risum moventibus dicebat: *Facile divinabam post tantum tonitru pluviam secuturam.* Idem Alcibiadi rogandi cur rixosam illam mulierem e domo non eiceret, respondisse fertur: *Cum talem domi patior, assuesco ferre injurias aliorum, nec magis offendor, quam si rotæ, quæ aquam educit, stridorem audiam.* Addebat et hoc: *An tu domi tuæ non toleras gallinas crebro glorientes? Tolero,* inquit Alcibiades, *sed ova mihi pariant et pullos. Et mihi,* ait Socrates, *mea Xantippe parit liberos.* Idem, cum Xantippe in publico pallium ei detraxisset, ac familiares admonerent, ut injuriam manu ulcisceretur: *Pulchre,* inquit, *nimirum ut nobis colluctantibus acclametis. Eia Socrates, eia Xantippe.* Hujusmodi enim vocibus spectatores animant eos, qui rixantur. Maluit vir sapiens tolerantiae exemplum de se præbere, quam vulgi fabula fieri et ridiculum exhibere spectaculum viri cum uxore certantis, Laert. in vita. Accipe et hoc: Cogitet quis conjugum, se non habere tam malum conjugem, quin alii quam plurimi habeant multo deteriores. Audi quod scribit Hadrianus Barlandus. Quidam abunde comis, cum hospes vociferantem diutius uxorem ejus, rixantemque cum ancillis inique ferret, conversus ille ad hospitem: *Equa, amice,* inquit, *isthæc tua impatientia est? Duos et triginta annos hujus ego clamores fero patientissime, tu vero ne per unius quidem diei sextantem ferre illos potes? Quo dicto, et hospitem lenit et uxorem ab ira ad risum convertit. Sile itaque et spera ex conjugem meliora: ita fortior eris et vinees.*

V. Hydria quinta est zelotypia, cum scitur aut timetur alterius conjugis infidelitas. Sæpenu-mero alter conjugum temere alieno amori implicatur, unde alter perpetua zelotypia vexatur, quæ quanta crux, quamque marmorea sit hydria, norunt ipsi. Multis hæc mortem attulit. Et Cant. VIII. dicitur: *Dura sicut infernus æmulatio.* Eandemque ob causam permisit olim Deus purgationem uxori suspectæ de adulterio per aquas, Num. V. ut scilicet mariti ab hac cruce liberarentur. Sed quod huic malo remedium? Optimum fortasse quod S. Hieronymus, l. I. contra Jovin. tradit. « Quid tibi profuerit, inquit, zelus, et nimia diligentia in servanda uxore tua, si enim inhonesta fuerit, vix illam custodire poteris, si casta et honesta, custodia opus non habet. Infida enim custos castitatis est necessitas, etc. » Facit huc documentum illud

quod Barlam dedit Josaphato per apologur apud Damas. in vita, c. X. Ubi ait comprehensam aliquando a quodam philomelani, cum mox jugulari deberet, hominem rogasse pro liberatione, velle enim se illi optimam doctrinam tradere. Accepta lege: « Triâ, inquit philomela, servato in omni vita tua: rem quæ apprehendi nequit, apprehendere ne quærit; rem, quæ non est verisimilis, ne credito; rem perditam, quæ recuperari nequit, ne plangito. Dimissa igitur avicula, arbori insedit, et affari hominem illum cœpit. Væ tibi quid fecisti et quantum bonum perdidisti! Etenim in meo ventre maximam fero gemmam, quantum est ovum struthionis; quod si eximisses, omni vita beatus forens. » Mox ille lamentari et miris blanditiis avem denuo invitare in domum suam, spondens omnem benevolentiam; tum ipsa ridere hominem et reprehendere, quod doctrinam sibi traditam nequaquam observasset; siquidem incredibile sit, tantam gemmam in tantilla contineri avicula, incassum vero dimissam assequi et denuo velle capere, stultum autem dolere ob rem factam, quæ infecta fieri nequit. Dico ergo nunc modo simili, vel uxor tibi bona et fidelis est, noli ergo credere fidem ab ea fractam, quia non est verisimile; vel mala et inhonesta, et noli in ejus nimia custodia frustra fatigari, quia vix servare poteris; vel infida et adultera, et noli nimium dolere, quia quod factum infectum fieri nequit.

VI. Hydria sexta est ægritudo unius aut utriusque diutina, et in primis mors. Multi inveniuntur conjuges, honestæ sustentationis et bene sibi convenientes, interim tamen infirma semper valetudine sunt, et nunc alter, nunc uterque lectis affiguntur, et se mutuo juvare nequeunt; sæpe etiam venit improvisa mors et alterum ab alterius latere divellit. Ecce, hydria ultima lacrymis redundans. Sed quid cogitandum talibus? Cogitent Dominum Deum optimum et amantissimum medicum suum esse, qui exacte noverit vinum prosperitatis et sanitatis eis perniciosum aut minus salubre esse, maxime si purum bibatur; idcirco id miscere interdum aqua tribulationis et diuturnæ ægritudinis, ut sic minus noxium sit. Jucundum quidem et suave vinum est prosperitas sanitati juncta in conjugio; sed quoniam ejusmodi vino facile quis inebriari et nimium incalescere ad multa vitia potest, magno conjugum bono temperatur id a Deo, aqua ægritudinis. Quare Sapiens, Prov. V. conjuges alloquens dixit: *Bibe aquam de cisterna tua,* q. d. ne polluas te alieno thoro, sed ulere tuo, ita tamen velut aqua, qua sitim quidem extinguas, non tamen

te inebries aut ad voluptatem bibas, siquidem: *Adulter est in suam uxorem,* ait Xystus philosophus pythagoricus, *omnis impudicus amator ardentior.* Proinde, uti quis non ex alieno tantum, sed suo etiam vino inebriari potest, ita et conjugio.

Eandem ob causam sæpe medicus ille cœlestis alteri conjugum omnino aufert et interdicit vinum, cum dulcissimum nimirum conjugem ab ejus latere divellit per immaturam mortem, quia id ei utilius est. Vidit hoc Melania Marcelli consulis Rom. filia, quæ cum marito nondum humato binos insuper amisisset filios, ita se ab omni dolore temperavit, ut diceret: *Jam magis expedite tibi servitura sum, Domine, quia tanto me onere liberasti,* Hieron. in ep. ad Paulam: et S. Elisabetha regina, quæ marito vita functo, quod hinc etiam occasionem Deo magis serviendi nacta esset, liberata ab onere conjugii, dicebat: « Ut viveret vir meus, nulli labori parere volui: verum eo nunc, Deo volente, ita sublato, ne minimum capitis dederim capillum, ut mihi vivus restitatur, » Sur. tom. VI. in vita.

Denique universale pro omnibus remedium idque facillimum et solidissimum est oratio, et sanctorum invocatio; uti enim ad preces B. Virginis matris suæ vertit Christus aquam in vinum, sic faciet etiam nunc. Multoties factum est, ut conjuges liberos non haberent, et precibus impetrarent, etc. Bene igitur et prudenter agent conjugati, si patronos sibi eligant Josephum et Mariam. Hi enim secum habent illum, qui potest aquam mutare in vinum, etc.

CONCIO III.

DE OFFICIO CONJUGUM ERGA SE MUTUO.

- I. Vir sit caput mulieris, et uxor pareat viro. — II. Vir honoret uxorem similiter uxor virum. — III. Vir amet uxorem, amet et uxor virum. — IV. Vir alat uxorem, et uxor juvet virum. — V. Vir sufferat uxoris defectus, uxor etiam toleret defectus viri.

THEMA.

Quid mihi et tibi est, mulier. Joan. II.

Prædicta verba ad matrem quidem suam Dominus locutus est, fortasse tamen in bonum et gratiam novorum conjugum quasi pro munere nuptiali. Quid enim melius loqui ad conjugem suam maritus potest, quam: *Quid mihi et tibi est, mulier?* Hoc videlicet sensu: *Quid mihi est faciendum? Et quid tibi est faciendum? Hoc*

si scirent conjuges, et sedulo perpenderent, optimum haud dubie foret eorum conjugium. Sane novi conjuges in regno Mogor, instante nuptiarum die, prius sepulera obeunt et reserant, seduloque contemplantur, quo nimirum finem vitæ suæ expendant, antequam liberis vitæ initium dent, ut scribit Hieron. Xavier. in lit. annuis, anno 1598. Optima quidem hujus disciplinæ schola est cœmeterium, ibi domus figuli (Dei) in qua auditur Dei verbum et discitur quid unicuique faciendum, Jeremiæ c. XVIII. Sed nos ad paradisum potius adducemus conjuges.

I. Vir debet esse caput mulieris, ut ait apostolus, I. Corinth. XI. hoc est, suaviter ei præesse et imperare, quo modo caput suis membris præest. Dirigit enim ea oculis, movet, et in officio continet. Ad hoc indicandum mulier e viri costa facta est, non de pectore, ne velut domina præcederet; nec de tergo, ne velut ancilla sequeretur; sed de latere, ut tamquam unum ex ejus membris obediret ei velut capiti. Unde Adam vocavit eam os ex ossibus suis: *Hoc nunc os, etc.* Hæc potestas capitis data est viro a Deo, cum creavit eum ad imaginem et similitudinem suam, ut præsit terræ universæ adeoque etiam mulieri; idcirco ut hoc munere fungi posset, majorem ei scientiam, robur et potestatem dedit, quam mulieri, ut eam docere, regere et in officio continere posset: idcirco etiam Adamo soli præceptum illud de non comedendo ex arbore vetita per seipsum intimavit: idcirco etiam Adam hanc suam potestatem mox exercuit, præceptum sibi a Deo datum mulieri insinuando, ne et ipsa transgrediretur, et præterea sicut animantibus reliquis, ita uxori etiam suæ nomen imponendo, ad ostendendum scilicet, gubernatoris esse, omnium quos sub se habet nomina nosse, et unicuique munia sua distribuere. Videtis ergo quam multis argumentis ex primæva institutione vir caput sit mulieris et gubernator; sed, ut dixi, suavis, non tyrannicus, non contra Dei aut Ecclesiæ præcepta. Imo hæc viri in mulierem potestas adeo est naturalis, ut contrarium plane sit monstrum, si mulier nimirum dominetur viro, non differens ab illis monstruosis hominibus qui caput infra brachia, in pectore et ventre habent; mulier enim de costa viri effecta est, quæ infra brachia et caput, non supra esse debet. Unde etiam sequitur viro dedecus esse, si patitur sibi ab uxore clavum eripi, non minus, quam si quis gladio stipatus patitur sibi ab inermi eximi et auferri gladium, plagasque infligi. Viro gladius datus, non mulieri. Est tamen, cur vir non prorsus respuat consilia

uxoris, sed apud se expendat; sæpe enim profuere. Si Henricus II. Franciæ rex volens Lutetiæ secundo etiam die lætitiæ (cui occasione dabant nuptiæ inter Philibertum Emmanuelem Sabaudia ducem et Margaritam ejus sororem) in hastiludio et torneamento decertare, secutus fuisset regiæ consilium ac preces, ut desisteret, nec ultra periculosissimum id ludi genus adiret, sed aliis relinqueret, contentus præcedentis diei victoria, lethale in capite vulnus non cepisset, quo intra dies undecim interiit; nec tam misere sed tamen vere contra se prophetasset, ad illa remittens qui diceret: *Adhuc semel, et non amplius, Belliforest, in Henrico II.*

Vicissim uxor ex hoc capite, subdita sit viro suo. Sic enim statuit Deus, Genesis III. dicens Evæ: *Sub viri potestate eris* (in Hebr. habetur *ad virum recursus tuus*, ut scilicet pro omni re quam petit, ad virum recurrere debeat) *et ipse dominabitur tui*. Similiter etiam apostolus Petrus, I. Pet. III. ait: *Mulieres subditæ sint viris suis*. Item Paulus, Tim. II. ait: *Mulier non permitto dominari in virum!* et Ecclesiasticus, cap. XXV. *Mulier si primatum habeat, contraria est viro suo*. Hanc vero subjectionem ostendat obediendo viro in omnibus rebus honestis et quæ divinis præceptis non adversantur, quin etiam præcepta Ecclesiæ ob viri imperium transgredi potest, si grave ejus odium aut pœnam incursa sit, non enim obligat Ecclesia cum tanto periculo ad sua præcepta. Cæterum si quæ justa non videantur, quæ maritus jubet, proferat in medium rationes suas, si se quid effecturam sperat; sin secus, acquiescat.

II. Vir debet honorare uxorem suam, ut loquitur S. Petrus, I. Pet. III. *Quasi infirmiori vasculo honorem impartiri tamquam cohæredi gratiæ vitæ*. Idecirco tametsi aliqui vir muliere dignior est et præstantior factus, quoad ingenium, robur et imperium, multis etiam prærogativis in sui creatione honoratus, quoad aliqua tamen prælata ei mulier est. Ipse enim extra, illa intra paradisum creata est; ipse ex terra et pulvere, illa de costa et latere viri facta; illa paranympum habuit Deum, qui eam loco ab Adam separato (postquam ab eo costam abstulerat) *ædificavit in mulierem*, id est, peculiari artificio elaboravit, et formosiorum fecit, posteaque ad illum adduxit tamquam figmentum suum, non tamquam Adæ creaturam vel aliquid ei debitum: his enim cæremoniis demonstrare voluit, non esse contemnendam vel contemptim tractandam a viro mulierem. Denique, idecirco aptissime creavit eam Deus ex latere Adami, ut esset illi velut socia, quemadmodum ipse Adam dixit: *Mulier quam*

dedisti mihi sociam, etc. Noluit eam Deus facere ex Adami capite, ne virum sperneret, nec de pedibus, ne ab eo sperneretur et pedibus ejus tersorium esset; sed de latere, ut velut socia esset. Denique, pro osse ablato reposuit Deus Adamo carnem, ut vir pro duritia cordis erga uxorem convenientem indueret molliorem et moderatorem, juxta id Colossens. III. *Viri diligite uxores vestras et nolite esse amari ad illas*. Optima vero ratio est D. Petri, ut scilicet honorem habeant tamquam infirmiori vasculo; tametsi enim vitrum, v. g. longe minoris pretii est, quam argenteum poculum, cautius tamen portatur et custoditur, quam illud, quia fragilius. Non parum igitur delinquant mariti, qui leviculas ob causas verberibus mulctant conjuges; nam et sibi parum gloriæ pariunt, dum in vasculum infirmius sæviunt, et Deo injuriam inferunt, quia uxor magis Dei est, quam mariti, qui ejus tantum usum habet, non dominium. Quod si tamen aliter emendari nequit, tunc dici solet: *Die Noth bricht Eysen*.

Uxor vicissim alio ex capite et potiori virum honorare debet, nimirum uti caput suum et majoribus a Deo prærogativis donatum; ideo non ex dextero, sed ut credit Pererius, in Gen. et alii, ex sinistro latere viri facta est, ut viro latus dexterum et locum digniorem cedat: eandem ob causam Eva adducitur ad Adamum, non Adamus ad Evam. Hinc rationabilis est consuetudo, qua uxor ad latus sinistrum viri incedit; item qua feminae nobiles vocant maritos suos dominos, hunc enim morem laudat S. Petrus, I. Pet. III. in Sara, quæ maritum suum vocabat dominum suum: imo S. Ignatius, in epistola ad Antioch. ait: *Mulieres honorificent viros suos et non audeant eos proprio nomine vocare*. Similiter etiam de viris suis conqueri apud alios non debent, nec eorum vitia aperire et exaggerare. Qua in virtute excelluit S. Monica mater Augustini, quæ non modo de viro suo Patritio, licet duriore, nunquam conqueri audita est, sed præterea querulas alias mulieres coercuit et modum placandi viros suos docuit, ut scribit S. August. I. IX. confess. c. IX. Multo vero minus audeat manus inferre marito, hoc enim idem pene est ac si discipulus magistrum, miles suum ducem verberet. Et quid præceptum Deuter. XXII. *Non inductur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea; abominabilis enim apud Deum est qui facit hæc*. Atqui nonne est hoc induere vestem virilem seu viri partes agere, cum mulier cædit virum? Abominatio est hoc apud Deum, et præterea dedecus tam viro quam mulieri, non minus quam si felis canem invadat et expellat.

III. Vir amare debet uxorem, velut partem sui et propriam carnem, adeoque plusquam proprios parentes. Nam *qui suam uxorem diligit* (ait apost. ad Ephes. V.) *seipsum diligit; nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam sicut et Christus Ecclesiam*. In cujus rei indicium Eva de Adamo et præterea de latere sinistro Adæ facta est, qua parte videlicet cor est ut vir amorem discat impendere uxori. Debet ergo hic amor esse primo, serius et sincerus, non fundatus super uxoris pulchritudine, divitiis, nobilitate, etc. nam talis amor super arenam extruitur, et cito dejicitur. Debet item esse ordinatus et medius inter nimium et nimis exiguum, quemadmodum et costa medio est in corpore. Nimius foret, cum contra et supra Deum elevaretur, uti in Adamo, qui in gratiam mulieris comedit, et in illo qui dixit: *Uxorem duxi, etc.* Nimis exiguus, cum in odium declinaret et ferretur erga alienas. Denique, debet esse fortis, ut paratus sit pro uxore tuenda periculo cuique se exponere, non minus quam pro seipso, sicuti et brachium protegit costam et latus, seque objicit ictui, ne latus vulneretur; quemadmodum fecit pro uxoribus suis Jacob, obvians fratri Esau, quem timebat: ipse enim aliquanto spatio præcessit uxores, eas defensurus, Genesis XXXIII.

Vicissim etiam uxor amet unice post Deum, virum suum, eique fortiter adhæreat, salutem, honorem, quietem et vitam viri conservare studeat, quomodo costæ cor muniunt et protegent. Non sit instar sepiæ illius piscis, cui ut refert Pierius, lib. XLVIII. hierogl. periclitanti mas quidem opem ferre conatur, non tamen ipsa vicissim mari. Imitetur potius Micholem Davidis uxorem, quæ præsentiens maritum a patre ad necem quæri, suasit fugam et per fenestram eum demisit; interim statuam ligneam lecto imposuit, ut dum præsens adhuc maritus crederetur, interim elaberetur, I. Reg. XIX. Imitetur nobiles matronas illas, quæ dum Guelphus Bavarie dux a Conrado III. imp. in oppido Winspergo obsidione premeretur, impetrarunt ab imperatore, ut ipsæ inviolatæ oppido excedere possent, nec aliud quam quod humeris efferre possent, exportarent. Tum enim quando credebantur sarcinas suas elaturæ, singulæ maritos suos ac imprimis ducissa ducem suum, humeris suspensos efferre inceperunt. Ex quo imperator tantam voluptatem cepit, ut effusus præ gaudio lacrymis non modo iram deposuerit, verum etiam pacem urbi dederit et amicitiam cum hoste acerrimo contraxerit. Quam historiam dum legeret Laurentius Medices princeps Florentinus, adeo recreatus est, ut propterea de morbo,

quem medicorum opera non poterat depellere, convaluerit. Abbas Spanheim Gottfrid. Viterbiens. Æmilius, libro VII.

IV. Vir debet alere uxorem et proles labore et industria sua, quia, ut supra apostolus dixit: *Unusquisque carnem suam nutrit et fovet*. Ut enim caput cibum transmittit ad costas et omnia membra, sic vir transmittat alimentum ad uxorem et liberos: idecirco et mulier de una tantum viri costa facta est (costa autem fortitudinem et laborem designat) unde sicut omnes costæ unius viri superant unam costam, ita excedere debet labor viri laborem uxoris. Et propterea Adam collocabatur in paradisum, ut operaretur et custodiret illum, quod de muliere dictum non fuit. Rursum de infirmiori latere facta creditur uxor, ut intelligat vir sibi potissimum incumbere sustentationem familiæ et sub ephippio jugum ducendum, proinde iniquissime agit, qui majus onus in uxorem rejicit vel omnino totum. Dedecori sibi ducere deberet vir, si ipse in equo sedens, duceretur ab uxore pedestri, et minante equum; contrarium fieri debet: nec enim pingitur S. Joseph super asellum sedens, dum fugit in Egyptum, Deipara vero equum minans; sed contra, Maria super equum, Joseph vero pedester asinum fræno ducens. Et cur non ducit sibi dedecori vir, si ipse otiosus degat, et uxoris tantum labore sustentetur? Quare si quis uxorem et liberos alere diffidit, uxorem non ducat; sicut qui non habet sumptus ad domum extruendam, non incipiat ædificare, juxta doctrinam Domini, Luc. XIV. ne alioqui ei dicatur: *Hic homo cepit ædificare et non potuit consummare*.

Vicissim uxor adjutorium viri esse debet in familiæ sustentatione, prout Deus dixit: *Faciamus ei adjutorium simile sibi*. Quæ verba Chaldaeus vertit: *Faciamus ei quasi sustentaculum, quod sit penes eum*. Quo modo scilicet ii, qui gravia onera in dorso gestant, scipionem ad manus habent, quem, dum quiescere volunt, supponunt sarcinæ, et beneficio illius interquiescunt. Tale enim sustentaculum viro debet esse mulier, præsertim delassato; ideoque non de vigilante, sed de dormiente Adamo facta est Eva, ut indicaretur virum sua quiete et levamine opus habere, et interim uxorem pro eo vigilare debere; vel quod cura familiæ tunc potissimum mulieri incumbat cum vir dormit, id est, dum æger vel absens est, vel aliis negotiis impeditus, vel denique negligentia et otio deditus. Hinc mulier a viro nomen sumpsit: ab isch Ischa, id est, a viro vira vel virago dicta; ut nimirum etiam ipsa pro loco et tempore virilem gerat animum.

Vir sit manus dextera, quæ delassatam dexteram subleuet. Errant igitur illæ, quæ dicunt: Meum est parere filios et quiescere, viri autem laborare; indicant enim se de numero asinarum illarum esse, de quibus Job, I. dicitur: *Boves arabant et asinæ pascébantur juxta eos, et irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia.* Talis enim familia diripietur et corruet facile, cui uxor nihil adjicit nisi proles. Multo magis autem quando uxor etiam dilapidat et absomit in mundum muliebrem ea, quæ vir lucratur. Nam de tali marito verificatur, quod Aggæus, cap. I. ait: *Qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum.* Et quid mirum si familia et res domestica non crescat, si maritus mercedes labore suo partas mittat in sacculum pertusum, id est, in uxorem prodigam et sumptuosam? Si enim uxor clam abliquit pecuniam in cupediis, ecce foramen unum: si etiam pretiosas comparet sibi vestes, iterum foramen: si præterea de domo furetur, et clandestinum det iis, quos præ viro diligit, rursus aliud foramen. Condoleo tibi, marite, si tam lacerum et pertusum habeas saccum.

V. Vir debet supportare uxoris defectus, senectutem, ægritudinem, deformitatem, paupertatem, iracundiam, morositatem, etc. Meminerit mulierem de latere infirmiore factam et ex osse suo et pro osse carnem sibi repositam, ut intelligat se fortitudinem suam uxoris infirmitati communicare debere, ejusque infirma portare. Meminerit etiam non frustra Adamo adductam esse a Deo Evam, et similiter sibi sponsam, antequam ei desponsaretur. Prius enim ante oculos sponsi statuitur sponsa, ut is prius bene deliberet, velit accipere eam, necne; nec excusare possit, si postea ei displiceat, quæ semel placuerat. Unde non immerito culpandus erat Adam, quando seductionem suam per Evam in Deum voluit rejicere, dicens: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno et comedi.* Genes. III. Nonne enim, o Adam, tu ipsemet eam accepisti? Nonne adduxit eam tibi tantum Deus ad videndum, et mox ea tibi placuit cum dixisti: *Hoc nunc os ex ossibus meis?* Et cui quæso marito non prius adducta fuit uxor, antequam eam acciperet? Quis suam non libens volens elegit? Portet igitur crucem, qui sibi eam imposuit. Vir errata uxoris minora dissimulet, ne alias summum jus summa sit injuria, et nimium emungendo eliciat sanguinem; graviora serio emendet, rationibus tamen potius agat, quam verbere, verborum ineptias surda aure prætereat, contentus dicere, quod Job obstrepenti sibi uxori dixit: *Tamquam una de stultis mulieribus locuta es.* Seipsum consoletur etiam lacessitus, quod non solus cogatur

indigna quandoque ab uxore audire et pati: et inter lucra reponat, quod nactus non sit deterior.

Uxor vicissim alio ex capite supportare virum debet, quia nimirum, cum ei subdita esse debeat, ejus se moribus merito accommodat, tamquam inferior superiori. Costa flectit se circa cor; ita mulier flectat propriam voluntatem, ut viro se accommodet. Unde Canticorum VIII. ait sponsus sponsæ: *Pone me ut signaculum super cor tuum.* Signaculum non tam accommodat se cera cui imprimitur, quam cera signaculo, cujus figuram in se recipit; quia cum sit mollis, duritiæ signaculi cedit; pari modo uxor quia viri subjecta imperio est, tractabilis uti cera esse debet, viro cedere, ejusque se duritiæ accommodare. Hoc autem faciet, virum suaviter sedando, in silentio, patientia et mansuetudine eum sufferendo. Atque idcirco Bethsabæe uxor Uriæ vocatur a Nathan propheta ovis viri sui, quæ in sina ejus dormiebat et de calice ejus bibebat, etc. II. Regum XII. quia uxor mansuetudinem oviculæ, quæ dum tondetur obmutescit, exercere erga virum debet; et sibi dictum putet id Isaïæ, c. XXX. *In silentio et spe erit fortitudo vestra.* Alioqui si ipsa semper ultimo loco canere velit, virum magis exasperabit, et ex lupo faciet leonem. Rectissime ergo Sanctus Chrysostomus, hom. XXVI. in epist. ad Cor. ait: *Uxor portus est mariti; portum autem oporteret esse tranquillissimum; ne ille in portu faciat naufragium.*

Denique, quia tam vir quam uxor suos habent defectus et ambo sibi mutuo, licet diversis ex capitibus, cedere tenentur, si pacem amant et rebus suis consultum volunt, ambo sibi cedant, ambo se supportent, ne sibi ambobus afferant ruinam. Exemplum capiant a duabus illis capris quas vidisse se scribit Mutianus, et recollit Plinius, lib. VIII. capite L. in ponte prætenui sibi invicem factas obvias. Cum enim ambas angustiae pontis non caperent, nec reditum aversum longitudo pontis admitteret, torrente rapido subterfluente, altera recubuit, atque ita altera proculcans supergressaque transiit. Videte solertiam bestiarum, et videte quid vos agatis conjuges, si forte in conjugii vestri ponte, per quem regredi non licet, adversis cornibus vobis invicem obvietis: retrogredi non licet: adversæ utriusque voluntates si fiant, ambos perdent. Quid igitur superest, nisi ut alter subsidat, quicumque is sit, sive maritus sive uxor, cum ambo teneantur, et alteri cedat, alterum supportet et cum silentio sufferat? Ita sine periculo per conjugii vestri pontem ad cælum transibitis, etc.

CONCIO IV.

RELIQUA CONJUGUM PRÆSCRIPTA SEU LEGES.

I. Præscriptum, fides. — II. Mutua confidentia. — III. Concordia. — IV. Castitas.

THEMA.

Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc.
Joann. II.

Duplicis generis vinum admodum diversum appositum fuisse in his nuptiis facile colligimus: primum naturale et minus præstans a sponso exhibitum, alterum miraculosum et præstantissimum a Christo ex aqua factum. Quæ res non obscure denotat duplicem matrimonii statum, primum, qui fuit in lege veteri, ut naturæ tantum officium, alterum qui est in lege nova, ut sacramentum a Christo institutum. In primo illo statu fuit matrimonium, quasi vulgare tantum vinum, quod intemperanter bibebatur, facile effundebatur, et parum aut nihil habebat efficaciam; siquidem ibi vigeat polygamia, permittebatur libellus repudii, matrimonium vero ipsam gratiam non conferebat ad sustinenda sua onera. Sed modo in statu legis novæ, est quasi vinum pretiosum et nobilissimum, quod parce bibi debet (et hinc polygamiam excludit) neque etiam effundi debet (et hinc est indissolubile) præterea gratiam præstat, tamquam sacramentum ex Christi institutione ut rite observetur. Ea vero gratia, quam conjugati in hoc sacramento consequuntur, ut doctores docent, amorem conjugalem auget, difficultates et amaritudines, quæ statum hunc consequuntur, faciliat et dulcescere facit, concupiscentiam refrænât, illicitos amores restringit, conjuges ad munus suum mutuo præstandum inclinât. Ut merito de hoc vino exclamari possit ad Christum: *Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc.* Quod si vero plurimi conjugatorum, vini hujus efficaciam non experiuntur; imo forte contrarium, pro auxilio impedimentum, pro consolatione tristitiam, pro amore odium, pro concordia dissidium, etc. ipsi in causa sunt, qui vel non sicut decet, contrahunt matrimonia ad eaque se disponunt, vel leges matrimoniales non curant observare, adeoque suam quotæ manum admovere ad gratiæ auxilium. Si enim serio (cooperandum est enim gratiæ adjuvanti) staterent et pro viribus conarentur observare leges illas, experirentur absque dubio in omnibus gratiæ auxilium. Vidimus alias aliquot leges tales, nunc cæteras addemus; atque ita rursus aliud vinum apponemus, ut in hodiernis nuptiis factum.

I. Fides, quæ in primis exigit, ut se mutuo nunquam dimittant, Matth. V. *Omnis qui dimiserit, etc.* Secundo, ut se mutuo non fraudent, juxta id apostoli, I. Cor. VII. *Uxori vir debitum reddat, similiter et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut orationi instetis: et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Unde primo, non licet conjugem excludere a thoro aut domo, nisi ex causa gravissima, cujusmodi esset morbus contagiosus, aut adulterium, de quo Matth. V. *Omnis qui dimiserit uxorem excepta causa fornicationis, etc.* Alioquin enim ejectus et desertus exponeretur manifesto periculo lapsus; proles ab eo abalienaretur, etc. Unde et apostolus, I. Cor. VII. *Iis qui matrimonio juncti sunt, ait, præcipio, non ego sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam aut viro suo reconciliari.*

Deinde, multo minus licet conjugi fidem thori frangere; neuter enim sui corporis potestatem habet, sed alligatus est conjugi, quamdiu ille vivit. Itaque nulli alii placere, sed solis sibi studeant conjuges, atque si soli essent in mundo. Quod enim non licet habere, nec licet concupiscere. Ita Christus de Ecclesia sponsa sua dicit, Cant. II. *Sicut lilium inter spinas, sic amica inter filias.* Ipsa etiam mox respondet: *Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios.* Ad hunc ergo modum uxor debet esse viro sicut lilium odore et colore suo illum recreans et demulcens; cæteræ autem femine tamquam spinæ, quas ne tangere quidem ei liceat. Maritus vicissim uxori tamquam malus pulchris et odoriferis referta pomis; cæteri autem mares tamquam ligna silvestria et horrida, quæ insulos atque amaros fructus proferunt. Ejusmodi erat Hieronis Syracusani uxor, quæ correpta a viro quod sibi graveolentiam oris sui nunquam indicasset, respondit: *Arbitrabar sane omnes viros ita olere;* adeo non agnovit alienum virum, apud Plutarch.

Neque hic locum habet, quod dici solet: *Frangenti fidem fides frangatur eidem.* Ut enim hoc in aliis contractibus valeat, in quibus nihil statuit Deus, non licet tamen in matrimonio, si nimirum alter conjugum fidem frangat aut debitum reddere nolit; quia id expresse prohibuit Deus: *Non adulterabis, non mæchaberis.*

II. Mutua confidentia zelotypia carens. Debent quidem ambo cavere, ne alteri occasionem præbeant male suspicandi: non debent tamen ad